

lumen autem omnia ornat, et est infinitum, mundus hic, ut ita dicam, secundus erit infinitus. Si lumen, specierum omnium, individuorumque semina, et primordiales gerit virtutes, et per universum secum vehit, eas quæ mundum ab initio exornarunt, et in dies amplius exornant, et replent; mundus hic idem luminarius, hac quoque ratione erit infinitus. Si rerum semina, si vires hæ, per calorem infinitum mole, blandissimumque vivificantur, et germinant, calor, rerum corporearum proximior artifex, mundus alias erit infinitus, quia infiniti luminis est comes, infinitumque cum eo spacium replet. Si rerum species, et individua per calorem in fluore procreantur, et fluor est infinitus, quartus hic mundus etiam dicetur infinitus. Si Empyreus mundus, primus ignis, seu primus igneus est, et omnis ignis e fluore, per calorem, in lumine ardet, Empyreus quoque mundus, ex infinitis quatuor compositus, spacio, lumine, calore, fluore, infinitus non esset non poterit. Mundus igitur hisce omnibus, mathematicis rationum necessitatibus, esto in finitus. Totus sphaera solida, et usque ad centrum, spacio, lumine, calore, fluore, Empyreis, repletus. In qua locum non habeat, cauta illa. Stoicorum distinctio, cum vacuo universum dici, sine vacuo dici totum. Non enim, vacuum id, quod ipsi supra coelum statuebant, et nos antea cum eis, vacuum est amplius. Sed lumine primo est repletum; calore deinde, et post modum fluore, postremo Empyreis ea parte, quæ æthæros, et hylæos mundos usque ad centrum non penetravit. Hæc de mundi infinita mole, sunt nobis philosophata.

*Finis Octavi libri Pancosmiæ.*

#### ANNOTATIO R. P. M. IACOBI DE LUGO.

*Ad probandum universum esse infinitum optime et ingeniose procedit author in hoc, ex rationibus nonnullorum philosophorum, quos ipse sequitur, et primo, quod si datur finitum actu, dabitur etiam infinitum actu, ex maxima illa. Posito uno contrario, necessario, ponitur et reliquum. Secundo Deus est potentiæ bonitatis, et voluntatis infinitæ, ergo universum ab ipso productum erit infinitum, per regulam. Effectus similitudinem suæ causæ secum fert. Tertio mundus continet omnia, et corpora, et incorpora, ergo erit infinitus, cum spacium quod continet omnia sit infinitum, et mundus, et spacium sint idem.*

*At ex sacris libris nos docemus oppositum. Nam ex dicto illo sapientiæ II omnia in numero pondere, et mensura disposuisti domine Deus creator cæli, et terræ, admonemur omnia sub certo numero, determinato pondere, finitaque mensura. Ex hoc nec multitudo infinita esse potest, quoniam omnis multitudo est in aliqua specie multitudinis, et species multitudinis sunt species numerorum, nulla autem species est infinita, cum quilibet numerus est multitudo facta per unum; item omnis multitudo in rerum natura existens est creata, et omne creatura sub aliqua certa intentione creantis comprehenditur, quoniam innatum agens non operatur. Ideo sub certo numero omnia creata comprehenduntur. Igitur impossibile est, esse multitudinem infinitam in actu.*

*Ad primam rationem respondent Theologi, et maxime Gaïtanus in primam partem Divi Thome in fine articuli 4 quæstionis 7. Quæ non ex defectu divinæ potentiæ, bonitatis, voluntatisque provenit quin infinitum actu detur, sed ex impossibilitate rei factibilis: et ad illud, quod posito uno contrariorum poni, et reliquum necesse est, dicimus, modo non repugnet rei factibili; ad illud etiam, quod effectus similitudinem suæ causæ fert secum, satisfacit Divus Thomas q. 35 art. 2 ad secundum ponens differentiam inter potentiam agentis univoci, et agentis non univoci, illud manifestat totam suam potentiam in suo effectu, sicut potentia generativa hominis, tota manifestatur in generatione filii. Potentia aut agentis non univoci non tota manifestatur in sui effectus productione, sicut potentia Solis, quod est agens non univocum, non tota manifestatur in productione muris, ex putrefactione generati.*